



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXI. Gregorii Papae I. Ad Benenatvm Episcopvm. Cumanam & Musitanam vnitas praecipit esse ecclesias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

diaconos, si in aliquibus ecclesiis præuideris ordinandos, si tales personæ fuerint, quæ canonicis regulis morum vel vita qualitate nullo modo reprobentur, habebis per omnia ordinandi licentiam. Ministeria vero earumdem ecclesiarum, vbi sint recondita, sollicita indagatione perquire: quibus repertis ad nostram notionem perducere festinato, vt cognoscentes quid fiendum sit, adiutore Domino disponamus.

EPISTOLA XXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD LVCILLVM EPISCOPVM DE MELLITA.

De clericis terras Africanæ ecclesiæ tenentibus.

Gregorius Lucillo episcopo de Mellita.

OFFICII nostri decet valde propositum, subiectis magnopere suadere, vt rebus debeant seruare fidem in placitis: ne dum inconsiderate lucrandi rapiuntur studio, pacificam vertant conuentionem in iurgium. Peruenit itaque ad nos, fraternitatis tuæ clericos, terras Africanæ tenentes ecclesiæ, quod pensionem earumdem possessio-
num dare contemnunt. *Quod si verum est, & ad fraterni-
tatis tuæ hæc sunt perlata notitiam, tua in hoc desidia eo-
rum culpa nutrita est.* Ob quam rem scriptis te præsentibus admonemus, quatenus ad persoluendam pensionem nulla mora nullaque excusatione eosdem clericos vti per-
mittas. Sed si fidem honestatis contemplatione seruare postponunt, tua distictione compulsi, quæ rationi con-
ueniunt cogantur implere. Nam si huius rei ad nos de-
nuo querela recurrerit, & de te aliam estimationem ha-
bere incipiemus, & in illo, vt dignum est, vindicabimus.

EPISTOLA XXXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD BENENATVM EPISCOPVM.

Cumanam & * Misenatem vnitas præcipit esse ecclesiæ. ^{* Mellita-}
_{nam}

Grat. 16. q.
1. cap. 48.
Ausclm. lib.
6. cap. 10.
Polyc. lib.
3. cap. 30.

Gregorius Benenato episcopo.

Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat,
Evt Cumanam atque Misenatem ynire debeamus ec-

clesias: quoniam ea non longo itineris spatio a se seiuictæ sunt, nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo est, vt singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum vitæ huius expleuit, vtrasque nos ecclesias præsentis auctoritatis pagina vniſſe tibique commisſe cognosce, propriumque vtrarumque ecclesiarum scito te esse pontificem. Et ideo te quæcumque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione siue promotione, iuxta Canonum statuta visa fuerint ordinare atque disponere, habebis vt proprius reuerera sacerdos liberam ex nostræ auctoritatis confensu atque permissione licentiam. Vbi vero commodius atque vtilius esse perspexeris, ibi habitato, ita sane vt alteram ecclesiam, cui corporaliter præsens non es, solicita prouidentique cura disponas, quatenus diuina illic mysteria solenniter auxiliante Domino peragantur. Fraternitas ergo tua tanto in adhortatione populi lucransque animabus solicitiori cura semper inuigilet, quanto se vnitarum ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit.

EPISTOLA XXXII. GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM RAVENNATEM.
De Arnulpho, de episcopis Istriæ, de baptizatis non rebaptizandis, & de ordinatis non reordinandis,
aliisque quamplurimis.

Gregorius Joanni episcopo Rauennæ.

QUOD multis scriptis vestræ beatitudinis minime respondi, non hoc corpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore quo Arnulphus ad Romanam urbem veniens alios occidit, alios detrucauit, tanta moestitia affectus sum, vt in colicam molestiam caderem. Valde autem mirabar quid esset, quod illa mihi notissima solicitude vestræ sanctitatis huic Vrbi meisque necessitatibus minime prodeſſet: sed scriptis vestris discurrentibus agnoui vos quidem solicite agere, sed tamen apud quem agere possitis non habere. Peccatis ergo hoc meis reputo: quia iste qui nunc interest, & repugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pa-